

280

ADDENDA ET VARIANDA  
IN LECTIONE MARTYROLOGII  
JUXTA  
KALENDARIUM BEROLINENSE PROPRIUM

Die 16 Octobris

Trebnicii in Silésia sanctæ Hedwígis Víduæ,  
Silésia Ducissæ, Patrónæ Ecclésiæ Cathedrális  
Berolinénsis, quæ páuperum obséquo dédita étiam  
miráculis cláruit: quam Clemens Papa quartus nú-  
mero Sanctórum adscrípsit.

Die 23 Octobris

Octáva sanctæ Hedwígis Víduæ.

Die 31 Octobris

Vigília Omnium Sanctórum.  
Ratisbónæ sancti Wolfgáangi Epíscopi.

Die 5 Novembris

Solémnis memória sanctárum Reliquiárum, quæ  
in Ecclésiis Diocécis Berolinénsis asservántur.

Feria III post Dom. II Novembris  
Dedicátió Ecclésiæ Cathedrális.

Feria III post Dom. III Novembris  
Octáva Dedicatiónis Ecclésiæ Cathedrális.

OFFICIA PROPRIA  
DIOECESIS  
BEROLINENSIS

JUSSU ET AUCTORITATE  
REVERENDISSIMI  
ET EXCELLENTISSIMI DOMINI

CONRADI DE PREYSING  
EPISCOPI BEROLINENSIS

EDITA

PARS AUTUMNALIS

1939.

RATISBONÆ  
SUMPTIBUS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET  
S. SEDIS APOSTOLICÆ ET S. RITUUM CONGREG. TYPOGRAPHI

# SACRA CONGREGATIO RITUUM

No. E. 14/39

## BEROLINEN.

**P**ost novi Calendarii Diœceseos Berolinensis diei 23 Octobris anno 1931 approbationem, Exc.mus ac Rev.mus Dominus Conradus de Preysing, Berolinensis Episcopus, Officia propria in usum cleri sibi commissæ Diœceseos concinnanda curavit, et Sanctissimi Domini nostri Pii Papæ XII iudicio reverenter subiecit. Eorundem vero Officiorum revisione et emendatione diligenti studio peracta, Sacra Rituum Congregatio ea probari posse censuit. Facta postmodum super hæc Eidem Sanctissimo Domino nostro per infrascriptum E.mum Cardinalem Præfectum relatione, Sanctitas Sua, Officia propria Diœceseos Berolinensis, prouti in adjecto prostant exemplari, probare et ab ejusdem Diœceseos clero adhibenda concedere benigne dignata est; servatis Rubricis et Declaratione de Sanctis vel Beatis alicubi publico cultu honoratis absque certo S. Sedis decreto vel indulto, die 28 Aprilis 1914 data. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Die 21 Junii 1939.

L. † S.

**C. Card. Salotti S. R. C. Præfectus**  
**A. Carinci S. R. C. Secretarius**

### APPROBATIO

Concordat cum originali approbato.

Berolini, die 20 Augusti 1939

PRANGE

Vic. Gen.

### IMPRIMATUR.

Ratisbonæ, die 26 Augusti 1939

v. n.

DR. DOEBERL

# KALENDARIUM DIŒCESIS BEROLINENSIS

a Sacra Rituum Congregatione  
revisum et approbatum die 23 Octobris 1931

## Augustus

- |   |    |  |
|---|----|--|
| c | 29 | Decollatio S. Joannis Baptistæ, duplex majus. Com. S. Sabinæ Mart.       |
| d | 30 | S. Rosæ a S. Maria Virg. Limanæ, duplex. Com. Ss. Felicis et Adaucti Mm. |
| e | 31 | S. Raymundi Nonnati Conf., duplex.                                       |

## September

- |   |    |   |
|---|----|---|
| f | 1  | S. Ægidii Abb., simplex. Com. Ss. duodecim Fratrum Mm.  |
| g | 2  | S. Stephani Regis, Conf., semiduplex.   |
| A | 3  |   |
| b | 4  |   |
| c | 5  | S. Laurentii Justiniani Ep. et Conf., semiduplex.   |
| d | 6  |   |
| e | 7  |   |
| f | 8  | † Nativitas beatæ Mariæ Virginis, duplex II classis cum Octava simplici. Com. S. Hadriani Mart. |
| g | 9  | S. Gorgonii Mart., simplex.   |
| A | 10 | S. Nicolai de Tolentino Conf., duplex.  |
| b | 11 | Ss. Proti et Hyacinthi Mm., simplex.  |
| c | 12 | Ss. Nominis Mariæ, duplex majus.  |
| d | 13 |   |
| e | 14 | Exaltatio S. Crucis, duplex majus.  |
| f | 15 | Septem Dolorum B. Mariæ Virg., duplex II classis. Com. S. Nicomedis Mart.                       |
| g | 16 | Ss. Cornelii Papæ et Cypriani Ep., Mm., semiduplex. Com. Ss. Euphemie et Sociorum Mm.           |
| A | 17 | Impressio sacrorum Stigmatum S. Francisci Conf., duplex.  |
| b | 18 | S. Josephi a Cupertino Conf., duplex.   |
| c | 19 | Ss. Januarii Ep. et Sociorum Mm., duplex.   |
| d | 20 | Ss. Eustachii et Sociorum Mm., duplex. Com. Vigiliæ.  |
| e | 21 | † S. Matthæi Apostoli et Evangelistæ, duplex II classis.  |
| f | 22 | S. Thomæ de Villanova Ep. et Conf., duplex. Com. Ss. Mauritii et Sociorum Mm.                   |
| g | 23 | S. Lini Papæ et Mart., semiduplex. Com. S. Theclæ Virg. et Mart.                                |
| A | 24 | B. Mariæ Virg. de Mercede, duplex majus.  |
| b | 25 |   |
| c | 26 | Ss. Cypriani et Justinæ Virg., Mm., simplex.  |
| d | 27 | Ss. Cosmæ et Damiani Mm., semiduplex.   |

- e 28 S. Wenceslai Ducis, Mart., semiduplex.  
 f 29 † Dedicatio S. Michaelis Archangeli, duplex I classis.  
 g 30 S. Hieronymi Presbyteri, Conf. et Eccl. Doct., duplex.

## October

- A 1 S. Remigii Ep. et Conf., simplex.  
 b 2 Ss. Angelorum Custodum, duplex majus.  
 c 3 S. Teresiæ a Jesu Infante Virg., duplex.  
 d 4 S. Francisci Conf., duplex majus.  
 e 5 Ss. Placidi et Sociorum Mm., simplex.  
 f 6 S. Brunonis Conf., duplex.  
 g 7 Sacratissimi Rosarii B. Mariæ Virg., duplex II classis.  
 Com. S. Marci Papæ et Conf. ac Ss. Sergii et Sociorum Mm.  
 A 8 S. Birgittæ Viduæ, duplex.  
 b 9 Ss. Dionysii Ep., Rustici et Eleutherii Mm., semiduplex.  
 c 10 S. Francisci Borgiae Conf., semiduplex.  
 d 11 Maternitatis B. Mariæ Virg., duplex II classis.  
 e 12  
 f 13 S. Eduardi Regis, Conf., semiduplex.  
 g 14 S. Callisti I Papæ et Mart., duplex.  
 A 15 S. Teresiæ Virg., duplex.  
 b 16 S. Hedwigis Viduæ, Titularis Eccl. Cathedralis, duplex  
 I classis cum Octava communi.  
 c 17 S. Margaritæ M. Alacoque Virg., duplex. Com. Oct. S.  
 Hedwigis.  
 d 18 S. Lucæ Evangelistæ, duplex II classis.  
 e 19 S. Petri de Alcantara Conf., duplex. Com. Octavæ S. Hed-  
 wigis.  
 f 20 S. Joannis Cantii Conf., duplex. Com. Octavæ S. Hed-  
 wigis.  
 g 21 De Octava S. Hedwigis, semiduplex. Com. S. Hilarionis  
 Abb. et Ss. Ursulæ ac Sociarum Vv. et Mm.  
 A 22 De Octava S. Hedwigis Vid., semiduplex.  
 b 23 Octava S. Hedwigis Vid., duplex majus.  
 c 24 S. Raphaelis Archangeli, duplex majus.  
 Dominica ultima Octobris — Domini Nostri Jesu  
 Christi Regis, duplex I classis. Com. Dominicæ.  
 d 25 Ss. Chrysanthi et Dariæ Mm., simplex.  
 e 26 S. Evaristi Papæ et Mart., simplex.  
 f 27 Vigilia.  
 g 28 † Ss. Simonis et Judæ Apostolorum, duplex II classis.  
 A 29  
 b 30  
 c 31 S. Wolfgangi Ep. et Conf., duplex. Com. Vigil.

## November

- d 1 †† Omnium Sanctorum, duplex I classis cum Octava  
 communi.  
 e 2 Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum, duplex.  
 f 3 De Octava Omnium Sanctorum, semiduplex.

- g 4 S. Caroli Ep. et Conf., duplex. Com. Octavæ Omnium  
 Sanctorum et Ss. Vitalis et Agricolæ Mm.  
 A 5 Sacrarum Reliquiarum, quæ in Ecclesiis Diceces. asservant.,  
 duplex majus. Com. Octav. Omnium Sanctorum.  
 b 6 De Octava Omnium Sanctorum, semiduplex.  
 c 7 De Octava Omnium Sanctorum, semiduplex.  
 d 8 Octava Omnium Sanctorum, duplex majus. Com. Ss.  
 Quatuor Coronatorum Mm.  
 e 9 Dedicatio Archibasilicæ Ssni Salvatoris, duplex II classis.  
 Com. S. Theodori Mart.  
 f 10 S. Andreæ Avellini Conf., duplex. Com. Ss. Tryphonis  
 et Sociorum Mm.  
 g 11 S. Martini Ep. et Conf., duplex. Com. Ss. Mennæ Mart.  
 A 12 S. Martini I Papæ et Mart., semiduplex.  
 b 13 S. Didaci Conf., semiduplex.  
 c 14 S. Josaphat Ep. et Mart., duplex.  
 Feria III post Dom. II Novembris — Dedicatio Ecclesiæ  
 Cathedralis, duplex I classis cum Octava communi.  
 Feria III post Dom. III Novembris — Octava Dedic.  
 Eccl. Cath., duplex majus.  
 d 15 S. Alberti Magni Ep., Conf. et Eccl. Doct., duplex.  
 e 16 S. Gertrudis Virg., duplex.  
 f 17 S. Gregorii Thaumaturgi Ep. et Conf., semiduplex.  
 g 18 Dedicatio Basilicarum Ss. Petri et Pauli App., duplex  
 majus.  
 A 19 S. Elisabeth Viduæ, duplex II classis. Com. S. Pontiani  
 Papæ et Mart.  
 b 20 S. Felicis de Valois Conf., duplex.  
 c 21 Præsentatio B. Mariæ Virg., duplex majus.  
 d 22 S. Cæciliæ Virg. et Mart., duplex.  
 e 23 S. Clementis I Papæ et Mart., duplex. Com. S. Felicitatis  
 Mart.  
 f 24 S. Joannis a Cruce Conf. et Eccl. Doct., duplex. Com.  
 S. Chrysogoni Mart.  
 g 25 S. Catharinæ Virg. et Mart., duplex.  
 A 26 S. Silvestri Abb., duplex. Com. S. Petri Alexandrini Ep.  
 et Mart.  
 b 27  
 c 28  
 d 29  
 e 30 † S. Andreæ Apostoli, duplex II classis.

## December

- f 1  
 g 2 S. Bibianæ Virg. et Mart., semiduplex.

OFFICIA PROPRIA  
DICECESIS BEROLINENSIS

PARS AUTUMNALIS

Die 16 Octobris

**S. Hedwigis**

Viduæ

Titularis Eccl. Cathedralis

Duplex I classis cum Octava  
communi

Omnia de Communi non  
Virginum, præter ea, quæ hic  
habentur propria.

In I Vesperis

**V.** Os suum aperuit sapi-  
entia. **R.** Et lex clemén-  
tia in lingua ejus.

**Ad Magnif. Ant.** Reg-  
num mundi \* et omnem  
ornatum sæculi contempsit  
propter amorem Dómini  
mei Jesu Christi, in quem  
credidi, quem dilexi.

Oratio

**D**eus, qui beátam  
Hedwigem a sæ-  
culi pompa ad hú-  
militatem tuæ Crucis sequé-  
lam toto corde transire do-  
cuisti: concède; ut ejus  
méritis et exémplo discá-  
mus peritúras mundi cal-  
cáre delicias, et in amplé-

xu tuæ Crucis ómnia nobis  
adversántia superáre: Qui  
vivis et regnas.

Ad Matutinum

In I Nocturno Lectiones Mu-  
lierem fortem, ut in Communi.

In II Nocturno

Lectio iv

**C**rescénte religióne chri-  
stiána in pártibus sep-  
tentrionalibus Polónia et  
Silésia ab anno nongenté-  
simo sexagésimo quinto,  
ut eo gloriósius lucérna fi-  
dei illucésceret, et Petri  
navícula inter mundánas  
illecebras et insidias firmi-  
óre navigio remigáret, et  
per sanctitátem hómínium  
firmarétur: velut stella ma-  
tutína a regalibus emissa  
sédibus, Henrici Longo-  
barbáti Silésia ducis, et  
Polónia principis, conjux  
Hedwigis præ céteris ter-  
ris Silésiam illustrávit.  
Sanctæ Elisabethæ filia  
regis Hungáriae matérte-  
ra, Berthóldi et Agnétis

Meránia marchiónum filia, ánimi ab ineunte ætate moderatióem proutulit. Adhuc enim puéllula puérilibus abstínuit, et, duodénnis Henrico Polóniæ duci a paréntibus núptui tráditá, thálami fide sancte serváta, prolem inde susceptam in Dei timóre erudívit. Ut autem comódius Deo vacáret, ex pari voto et consénsu unánni, ad separatióem thori virum indúxit. Quo defúncto, ipsa in monastério Trebnicénsi, Deo, quem assídus précibus exoráverat, inspiránte, Cisterciénsium devóta sumpsit hábitum: in eoque, contemplatióni inténta, divinis Officiis et Missárum solénnis a solis ortu ad meridiem usque assídua assistens, antíquum húmáni géneris hostem fortis contempsit.

**R.** Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: \* Et dedúcet te mirábiliter dextera tua. **V.** Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, prospere procéde, et regna. **Et.**

#### Lectio v

**S**æculi autem commércia, ni divína vel animárum salútem attinge-

rent, audíre vel loqui non sustínuit. Prudentia in agéndis sic emícuit, ut neque excéssus esset in modo nec error in órđine, comis alióqui et mansuéta in próximum. Grandem autem de se triúmphum, jejúniis et vigíliis vestiúmq; asperitate, austéra carnem mácerans, reportávit; hinc sublimióribus florens virtútibus christiánis, consiliórum gravitate animique candóre et quiete, in exímium religiósæ pietátis evásit exémpplar. Omnibus se ultro subjícere atque vilióra præ céteris moniálibus alácriter múnia subíre; paupéribus étiam flexo genu ministráre, leprosórum pedes ablúere et osculári, ipsi familiáre erat; neque illórum úlcera sánie manántia, sui victrix, abhórruit.

**R.** Dilexisti justítiam, et odisti iniquitátem: \* Propertérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætitiæ. **V.** Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. **Propertérea.**

#### Lectio vi

**M**ira fuit ejus patiéntia animique constántia; præcipue vero in morte Henrici, ducis Silésia, sui,

quem matérne diligébat, filii in bello a Tártaris cæsi, enituit: pótius enim grátias Deo quam filio lácrimas réddidit. Miraculórum dénique glória percrebuit; púerum enim demérsus et molendíni rotis allisus et prorsus attrítus, invocáta, vitæ restituit; aliáque præstitit, ut, rite iis Clemens quartus probátis, Sanctórum número eam adscriberet, ejúsque festum in Silésia, ubi præcipua veneratióne uti patróna colitur, die décima quinta Octóbris celebrári concésserit. Quod deínde ab Innocéntio undécimo ad universam Ecclésiám ampliátum Pius undécimus in diem decimam sextam Octóbris tránstulit.

**R.** Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: \* Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. **V.** Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. **Múlier. Glória Patri. Múlier.**

In III Nocturno Homilia in Evangelium Simile est regnum, de eodem Comuni.

#### Ad Laudes

**V.** Adjuvábit eam Deus vultu suo. **R.** Deus in mé-

dio ejus, non commovébitur.

**Ad Bened. Ant.** Tu honorificéntia \* pópuli nostri, quæ fecisti viriliter, quia manus Dómini confortávit te.

#### Oratio

**D**eus, qui beátam Hedwigem a sæculi pompa ad húmílem tuæ Crucis sequélam toto corde transíre docuisti: concéde; ut ejus méritis et exémplo discámus peritúras mundi calcáre delicias, et in ampléxu tuæ Crucis ómnia nobis adversántia superáre: Qui vivis et regnas.

#### In II Vesperis

**V.** Elégit eam Deus, et prælégit eam. **R.** In tabernáculo suo habitáre facit eam.

**Ad Magnif. Ant.** Hedwigis sancta ínclýta, \* in cælesti cúria coronáta, nos post hoc exsílum fac habére cæli gáudium.

Et fit Com. sequentis:

**Ant.** Veni, Sponsa Christi, accípe coronám, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

**V.** Spécie tua et pulchritúdine tua. **R.** Inténde, prospere procéde, et regna.

## Oratio

**D**omine Jesu Christe, qui investigabiles divitias Cordis tui beatæ Margaritæ Mariæ Virgini mirabiliter revelasti: da nobis ejus méritis et imitatione; ut, te in omnibus et super omnia diligentes, jugem in eodem Corde tuo mansionem habere mereamur: Qui vivis et regnas.

## Pro Commemoratione Octavæ S. Hedwigis

## Ad Laudes

**Ant.** Tu honorificentia populi nostri, quæ fecisti viriliter, quia manus Domini confortavit te.

**V.** Adjuvabit eam Deus vultu suo. **R.** Deus in medio ejus, non commovebitur.

## Oratio

**D**eus, qui beatam Hedwigem a sæculi pompa ad humilem tuæ Crucis sequelam toto corde transire docuisti: concede; ut ejus méritis et exemplo discamus perituras mundi calcare delicias, et in amplexu tuæ Crucis omnia nobis adversantia superare: Qui vivis et regnas.

## Ad Vesperas

**Ant.** Hedwigis sancta inclyta, in cælesti cûria co-

ronata, nos post hoc exsiliium fac habere cæli gaudium.

**V.** Elégit eam Deus, et prælégit eam. **R.** In tabernaculo suo habitare facit eam.

*Si die sequenti fit Officium de Octava S. Hedwigis, dicitur:*

**Ant.** Regnum mundi et omnem ornatum sæculi contempsisti propter amorem Domini mei Jesu Christi, in quem credidi, quem dilexi.

**V.** Os suum aperuit sapientia. **R.** Et lex clementia in lingua ejus.

Die 21 Octobris

## De VI die infra Octav. S. Hedwigis

## Vidua

## Semiduplex

**Hodie et duobus diebus sequentibus ad Matutinum et reliquis Horis Antiphonæ, Psalmi et Versus Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio; reliqua ut in Festo 7\*, præter Lectiones, quæ in I Nocturno dicuntur de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore, in II et III ut singulis diebus, assignantur propria. Pro die Octava habetur etiam Oratio propria, ut infra 16\*.**

## In II Nocturno

Sermo sancti Augustini  
Episcopi

Serm. 45, de diversis, cap. 7

## Lectio iv

**P**rospiciens agrum mercata est. Prospiciens, non in præsentî, sed in futuro, mercata est agrum istum. Prospiciens fide, spe: inde et de noctibus surgit. Si enim, quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus. In omnibus tribulationem patiens; prospicit enim agrum, quem mercatur: inde enim mulier fortis dicitur. Quid sunt noctes illæ pro agro illo? Quod enim ad præsens temporale est, et leve tribulationis nostræ (cum de noctibus surgimus) in incredibilem modum æternum gloriæ pondus operatur in nobis (cor habentibus ad agrum illum) non respicientibus, quæ videntur, sed quæ non videntur. Qualis est ager ille? Quæ pulchritudo ejus est? Inardescamus ad eum possidendum. Putamus, non ipse est, de quo dixit Deus: Et species agri mecum est?

**R.** Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: \* Et deducet te mirabiliter dextera tua. **V.** Species tua et pulchritudine tua intendente, prospere procede, et regna. **Et.**

## Lectio v

**U**nde mercata est? Ne forte tu despères, et suspères, et nihil agas. Ager iste segnem amatorem non amat. Ibi certe, cum ad eum veneris, forsitan requiesces, nec opus erit ut labores. Non enim est talis ager ille, qualis iste, ubi Adam in sudore vultus sui comedit panem suum. Modo tamen, ut ad illius agrum speciem pervenias compara tibi unde compares agrum ibi. Quid? Collige pretium: hoc enim agit hæc mulier. Vide, si tacitum est cui dictum est: Prospiciens agrum mercata est: tamquam diceret: Unde mercata est? de fructibus manuum suarum plantavit possessionem: illam enim possessionem dixit, quæ futura est. Hoc insinuat verbo, quod ait: Prospiciens.

**R.** Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: \* Prop-

térea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætitiæ. **V.** Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. Propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætitiæ.

## Lectio vi

**S**uccincta fortiter lumbos suos firmavit brachia sua. Vere fortis. Quam devote servit, quam parate! Ne fluitantes sinus carnalium concupiscentiarum impédiant operantem, succingit lumbos, ut nihil superfluum calcet, dum in opere festinat. Ibi enim castitas mulieris hujus, zona præcepti constricta, et ad omne opus bonum semper parata. Unde hoc: Gustavit, quia bonum est operari. Ubi est palatum, quo gustatur hoc? Fugiunt homines laborem, quasi amarum; timendo gustare, nesciunt quid amare. Bonum opus facit conscientia bona: et quid dulcius, fratres, conscientia bona?

**R.** Fallax gratia, et vana est pulchritudo: \* Mulier timens Deum, ipsa laudabitur. **V.** Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus. **Mulier.** **Glória Patri.** **Mulier.**

## In III Nocturno

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum

Lectio vii Cap. 13, 44-52

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro. Et reliqua.

De Homilia sancti Gregorii Papæ

## Homilia 11 in Evangelia

**R**ursum cælestis regnum negotiâtori homini simile dicitur, qui bonas margaritas querit, sed unam pretiosam invenit, quam videlicet inventam, omnia vendens, emit: quia, qui cælestis vitæ dulcedinem, in quantum possibilitas admittit, perfecte cognoverit, ea, quæ in terrenis amaverat, libenter cuncta derelinquit. In comparatione ejus vilescunt omnia, deserit habita, congregata dispérgit: inardescit in cælestibus animus, nihil in terrenis libet: deformis conspicitur, quidquid de terrænæ rei placébat specie, quia sola pretiosæ margaritæ claritas fulget in mente.

**R.** Os suum aperuit sapientiæ, et lex clementiæ in lingua ejus: considerá-

vit semitas domus suæ, \* Et panem otiosa non comedit. **V.** Gustavit et vidit quia bona est negotiatio ejus: non exstinguetur in nocte lucerna ejus. **Et.**

## Lectio viii

**R**ursus simile esse regnum cælorum sagena in mare missa dicitur, ex omni genere piscium congreganti, quæ impléta ad littus educitur, et in vasis boni pisces eliguntur, mali autem projiciuntur foras. Sancta Ecclesia sagena comparatur, quia et piscatoribus est commissa, et per eam quisque ad æternum regnum a præsentis sæculi fluctibus trahitur, ne in æternæ mortis profunda mergatur. Quæ ex omni genere piscium congregat: quia ad peccatorum veniam sapientes et fatuos, liberos et servos, divites et pauperes, fortes et infirmos vocat.

**R.** Regnum mundi et omnem ornatum sæculi contempsi, propter amorem Domini mei Jesu Christi: \* Quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi. **V.** Eructavit cor meum verbum bonum:

dico ego opera mea Regi. **Quem.** **Glória Patri.** **Quem.**

**IX** Lectio de S. Hilarione Abb. Ad Laudes Com. S. Hilarionis, et Ss. Ursulæ et Soc., ut in Breviario.

Die 22 Octobris

De VII die infra Octav.  
S. Hedwigis

Viduæ

Semiduplex

In II Nocturno

De Sermone sancti Augustini Episcopi

Unde supra, cap. 9

Lectio iv

**B**rachia quoque sua firmavit in fustum. Potuit dicere in colum: fustum dixit, forte non frustra. Quamvis possit videri, nec absurde intelligi de fuso lanificio significatum, de lanificio bonum opus, tamquam castæ mulieris, et matrônæ impigræ et diligentis. Tamen ego, carissimi, in isto fuso, quod intelligo, non tacebo. Omnis, qui vivit in bonis operibus in sancta Ecclesia, non neglector, sed effector præceptorum Dei, quid faciat cras, nescit; quid fecerit hodie, scit. De futuro opere timet, de præterito gaudet. In orando tamen Dó-

mino non habet firmam conscientiam de opere futuro, sed de præterito; ex eo quod fecit, non ex eo, quod facturus est.

**R.** Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: \* Et deducet te mirabiliter dextera tua. **V.** Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. **Et.**

#### Lectio v

**J**am ergo, si hoc verum esse tecum videtis: attendite in lanificio duo instrumenta ista, colum et fustum. In colo lana involuta est, quæ filo ducenda est nenda transeat in fustum. Quod in colo est involutum, est futurum: quod in fuso collectum est, jam præteritum est. Opus ergo tuum in fuso est, non in colo: in colo enim est, quod facturus es, in fuso, quod fecisti. Vide ergo, si aliquid habes in fuso, ubi firmetur brachia tua. Ubi erit fortis conscientia tua, ibi securus eris. Quidquid ergo operaris, totus animus ad fustum sit, ut totum colatur ad fustum, ut habeat aliquid fustum, quod te consoletur, quod te confirmet, quod tibi det fidu-

ciam deprecandi, et sperandi promissa.

**R.** Dillexisti justitiam, et odisti iniquitatem: \* Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ. **V.** Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. **Propterea.**

#### Lectio vi

**E**t quid agam? forte dicis. Quid me jubes habere in fuso? Audi quid sequitur: Manus autem suas aperuit pauperi. Eja, non nos pudeat lanificium sanctum docere. Vos videte, si quis habet plenum sacculum plenum horreum, plenam apothecam omnia ista in colo sunt, transeant in fustum. Manus suas aperuit pauperi, fructum autem porrexit inopi. Manus pauperi, fructus inopi. Est quidam pauper, manus tuas quaerit: est quidam inops, fructum tuum quaerit. Qui vero quaerere non vult a te, nisi quod necessitati suæ prosit, pauper est, manus tuas quaerens. Est autem alius inops, qui dicit: Quasi nihil habentes, et omnia possidentes; non quasi necessitati suæ vult satisfieri de dato tuo; sed tamquam in arbore Domi-

nica, quam plantavit et rigavit, fructum quaerit. Ipsum audi: Non quia quero datum, sed requiro fructum.

**R.** Fallax gratia, et vana est pulchritudo: \* Mulier timens Deum, ipsa laudabitur. **V.** Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus. **Mulier.** **Gloria.** **Patri.** **Mulier.**

#### In III Nocturno

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum

#### Lectio vii Cap. 13, 44-52

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabola hanc: Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini  
Episcopi

Quæst. ex Matth. quæst. 16

**I**deo omnis scribe doctus in regno caelorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera. Utrum ista conclusione exponere voluit, quem dixerit thesaurum in agro absconditum? Quoniam sanctæ Scripturæ intelliguntur, quæ nomine duorum testa-

mentorum novi et veteris concluduntur: quemadmodum apud alium Evangelistam, gladium bis acutum tali conclusione videtur exponere.

**R.** Os suum aperuit sapientiae, et lex clementiae in lingua ejus: consideravit semitas domus suæ, \* Et panem otiosa non comedit. **V.** Gustavit et vidit quia bona est negotiatio ejus: non exstinguetur in nocte lucerna ejus. **Et.**

#### Lectio viii

**A**n quia in parabolis ista locutus est, et cum quaesisset ab eis, utrum intellexissent, responderunt, se intellexisse? Fortasse ista similitudine ultima patrifamilias proferentis de thesauro suo nova et vetera ostendere voluit, eum doctum habendum esse in Ecclesia, qui etiam Scripturas veteres parabolis explicatas intellexit, ab istis novis accipiens regulas: quia et ista Dominus per parabolas enuntiavit, quamvis ipse Christus esset finis illorum; id est, ut in eo illa vetera compleverentur.

**R.** Regnum mundi et omnem ornatum sæculi

contempsit, propter amorem Domini mei Jesu Christi: \* Quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi. **V.** Eructavit cor meum verbum bonum: dico opera mea Regi. **Quem. Glória Patri. Quem.**

**Lectio ix**

**U**t si ipse, in quo illa complentur et manifestantur, per parabolas ad huc loquitur, donec ejus passio velum discindat, ut nihil sit occultum quod non reveletur; multo magis illa, quæ ad commendandam tantam ejus salutem, tam longe de illo scripta sunt, parabolis operata esse novimus: quæ cum Judæi ad litteram acciperent, noluerunt esse docti in regno cælorum, neque transire ad Christum, ut auferretur velamen, quod supra cor eorum positum est. **Te Deum.**

Die 23 Octobris  
Octava S. Hedwigis

**Duplex majus**

**V.** Os suum aperuit sapientiæ. **R.** Et lex clementiæ in lingua ejus.

**Ad Magnif. Ant.** Regnum mundi \* et omnem ornatum sæculi contempsit

propter amorem Domini mei Jesu Christi, in quem credidi, quem dilexi.

**Oratio**

**D**eus, gratiæ dator et gloriæ, tuæ nobis propitius sinum pietatis aperiri, et præsta: ut, qui mentem civitatem hic non habemus; ad futuramquam quærimus, beatæ Hedwigis interveniente suffragio perducamur. **Per Dñm.**

**In II Nocturno**

De Sermone sancti Augustini Episcopi

Unde supra

**Lectio iv**

**D**uplicia pällia fecit viro suo. Jam acclamatis: Credo, quod agnoscitis, quæ sunt duplicia pällia. Laudes sunt, laudes fidei, laudes confessionis, laudes prædicationis. Quare duplicia? Christum laudas, Deum laudas, et hominem. Dupliciter lauda, simpliciter lauda. Dupliciter, quia homo est et Deus: simpliciter, ut non sis fictus. Confitere Deum, confitere hominem: lauda Deum in homine, lauda hominem in Deo. Texit pretiosissimum illud pällium laudis: In principio erat Verbum,

et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Texit et aliud pällium, propter conversationem inter homines quotidianam: Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.

**R.** Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: \* Et deducet te mirabiliter dextera tua. **V.** Spécie tua et pulchritudine tua intendere, prospere procedere, et regna. **Et.**

**Lectio v**

**H**ic ergo ista laboriosa, vigilans, sollicita, severe castigans domum suam, surgens de noctibus, intuens lucernam ne extinguatur, in tribulatione fortis, nondum receptis promissis pavens, brachia sua in fustum confirmans, non pigrum panem manducans. Sed post labores istos quasi paupertatis et necessitatis sæcularis, quid erit, quia in diebus novissimis lætata est? Quid erit? Audite, propter quam spem ardeat lucerna nostra tota nocte, nunc audite: Surrexerunt filii ejus, et ditati sunt. Modo in paupertate vivimus, in pau-

peritate vigilamus: et cum morimur, in paupertate dormimus: sed surgemus et ditabimur. Quæ illæ divitiæ sunt Angelorum? unam vestem habent lucis: numquam teritur, numquam sordidatur. Si filius es mulieris hujus, attende quando tibi divitiæ promittantur. Surrexerunt filii ejus, et ditati sunt, parati resurrectionis divitiis accipere. Noli has amare, ut merearis ad illas venire.

**R.** Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: \* Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ. **V.** Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. **Propterea.**

**Lectio vi**

**E**t vir ejus laudavit eam. **M**ultæ, inquit, filiæ fecerunt potentiam. Laudes sunt, quibus eam laudat vir ejus. Quæ filiæ, quibus hæc comparatur? Non comparatur. Tu autem superasti. Attendite, rogo vos, jam in fine lectionis sumus. Multæ filiæ fecerunt potentias, multæ locutæ sunt linguis, scièrunt omnia sacramenta, fecerunt virtutes multas, dæmonia excluserunt, res suas pauperibus distribu-

contempsit, propter amorem Domini mei Jesu Christi: \* Quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi. **V.** Eructavit cor meum verbum bonum: dico opera mea Regi. **Quem. Glória Patri. Quem.**

**Lectio ix**

**U**t si ipse, in quo illa complentur et manifestantur, per parabolas adhuc loquitur, donec ejus passio velum discindat, ut nihil sit occultum quod non reveletur; multo magis illa, quæ ad commendandam tantam ejus salutem, tam longe de illo scripta sunt, parabolis operata esse novérimus: quæ cum Judæi ad litteram acciperent, noluerunt esse docti in regno cælorum, neque transire ad Christum, ut auferretur velamen, quod supra cor eorum positum est. **Te Deum.**

Die 23 Octobris  
Octava S. Hedwigis

**Duplex majus**

**V.** Os suum aperuit sapientiæ. **R.** Et lex clementiæ in lingua ejus.

**Ad Magnif. Ant.** Regnum mundi \* et omnem ornatum sæculi contempsit

propter amorem Domini mei Jesu Christi, in quem credidi, quem dilexi.

**Oratio**

**D**eus, gratiæ dator et gloriæ, tuæ nobis propitius sinum pietatis aperiri, et præsta: ut, qui manentem civitatem hic non habemus; ad futuramquam quærimus, beatæ Hedwigis interveniente suffragio perducamur. **Per Dñm.**

**In II Nocturno**

De Sermone sancti Augustini Episcopi

Unde supra

**Lectio iv**

**D**uplicia pällia fecit viro suo. Jam acclamatis: Credo, quod agnoscitis, quæ sunt duplicia pällia. Laudes sunt, laudes fidei, laudes confessionis, laudes prædicationis. Quare duplicia? Christum laudas, Deum laudas, et hominem. Dupliciter lauda, simpliciter lauda. Dupliciter, quia homo est et Deus: simpliciter, ut non sis fictus. Confitere Deum, confitere hominem: lauda Deum in homine, lauda hominem in Deo. Texit pretiosissimum illud pällium laudis: In principio erat Verbum,

et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Texit et aliud pällium, propter conversationem inter homines quotidianam: Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.

**R.** Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: \* Et deducet te mirabiliter dextera tua. **V.** Spécie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. **Et.**

**Lectio v**

**H**ic ergo ista laboriosa, vigilans, sollicita, severe castigans domum suam, surgens de noctibus, intuens lucernam ne extinguatur, in tribulatione fortis, nondum receptis promissis pavens, brachia sua in fustum confirmans, non pigrum panem manducans. Sed post labores istos quasi paupertatis et necessitatis sæcularis, quid erit, quia in diebus novissimis lætata est? Quid erit? Audite, propter quam spem ardeat lucerna nostra tota nocte, nunc audite: Surrexerunt filii ejus, et ditati sunt. Modo in paupertate vivimus, in pau-

peritate vigilamus: et cum morimur, in paupertate dormimus: sed surgemus et ditabimur. Quæ illæ divitiæ sunt Angelorum? unam vestem habent lucis: numquam teritur, numquam sordidatur. Si filius es mulieris hujus, attende quando tibi divitiæ promittantur. Surrexerunt filii ejus, et ditati sunt, parati resurrectionis, divitiis accipere. Noli has amare, ut merearis ad illas venire.

**R.** Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: \* Propterea unxit te Deus, oleo lætitiæ. **V.** Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. **Propterea.**

**Lectio vi**

**E**t vir ejus laudavit eam. **M**ultæ, inquit, filiæ fecerunt potentiam. Laudes sunt, quibus eam laudat vir ejus. Quæ filiæ, quibus hæc comparatur? Non comparatur. Tu autem superasti. Attendite, rogo vos, jam in fine lectionis sumus. Multæ filiæ fecerunt potentias, multæ locutæ sunt linguis, sciérunt omnia sacramenta, fecerunt virtutes multas, dæmonia exclusérunt, res suas pauperibus distribu-

erunt, corpora sua ignibus tradiderunt: inflatae sunt, quia caritatem non habuerunt. Tu autem superasti et superposuisti omnes, non solum flore, sed et fructu grávida abundans. Date illi de fructibus mánuum suárum. Quid date? Venite benedicti Patris mei. De quibus fructibus mánuum ejus? Esurivi enim, et dedistis mihi manducare. Et quod illi deinde negotium erit, finitis laboribus? Et laudetur in portis vir ejus. Ipse erit portus laborum nostrórum, videre Deum, laudare Deum.

**R.** Fallax grátia, et vana est pulchritudo: \* Múlier timens Deum, ipsa laudabitur. **V.** Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. **Múlier. Glória Patri. Múlier.**

### In III Nocturno

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum

Lectio vii Cap. 13, 44-52

**I**n illo témpore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cælórum thesauro abscondito in agro. Et

Homilia sancti Hierónymi Presbíteri

Lib. 2 in Matth., Cap. 13

**T**hesaurus iste, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi, aut Deus Verbum est, qui in carne Christi videtur absconditus; aut sancta Scripturae, in quibus repósa est notitia Salvatoris: quem cum quis in eis invenerit, debet omnia istius mundi emolumenta contemnere, ut illum possit habere, quem reperit. Quod autem sequitur: Quem cum invenerit homo, abscondit; idcirco dicitur, non quod hoc de invidia faciat, sed quod timore servantis, et nolentis perdere, abscondat in corde suo, quem pristinis pretulit facultatibus.

**R.** Os suum aperuit sapientiae, et lex clementiae in lingua ejus: consideravit semitas domus suae, \* Et panem otiosa non comedit. **V.** Gustavit et vidit quia bona est negotiatio ejus: non exstinguetur in nocte lucerna ejus. **Et.**

### Lectio viii

**A**liis verbis idípsum, quod supra dicitur. Bona margaritae, quas

quærit institor, lex et prophetae sunt. Unum autem est pretiosissimum margaritum, scientia Salvatoris, et sacramentum passionis illius, et resurrectionis arcánium. Quod cum invenerit homo negotiator, similis Pauli Apóstoli, omnia legis prophetarumque mysteria, et observationes pristinas, in quibus inculpate vixerat, quasi purgamenta contemnit et quisquillas, ut Christum lucrifaciat. Non quod inventio novae margaritae condemnatio sit veterum margaritarum; sed, quod comparatione ejus omnis alia gemma vilior sit.

**R.** Regnum mundi et omnem ornatum saeculi contempsisti, propter amorem Domini mei Jesu Christi: \* Quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi. **V.** Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. **Quem. Glória Patri. Quem.**

### Lectio ix

**I**n tellexistis haec omnia? Dicunt ei: Etiam. Ad Apóstolos proprie sermo est: quos non vult audire tantum, ut populum, sed intelligere, ut magistros futuros. Instructi erant

Apóstoli, scribae et notarii Salvatoris, qui verba illius et praeccepta signabant in tabulis cordis carnalibus, regnorum caelestium sacramentis, et pollebant opibus patrisfamiliae, eicientes de thesauro doctrinarum suarum nova et vetera: ut quidquid in Evangelio praedicabant, legis et prophetarum vocibus comprobarent. Unde et sponsa dicit in Canticò Canticorum: Nova et vetera, fratruelis meus, servavi tibi.

**T**e Deum laudamus.

### Ad Laudes

**V.** Adjuvabit eam Deus vultusuo. **R.** Deus in medio ejus, non commovebitur.

**Ad Bened. Ant.** Tu honorificèntia \* populi nostri, quae fecisti viriliter, quia manus Domini confortavit te.

### Oratio

**D**eus, gratiae dator et gloriae, tuae nobis propitius sinum pietatis aperi, et praesta: ut, qui manentem civitatem hic non habemus; ad futuram quam quaerimus, beatae Hedwigis interveniente suffragio perducamur. Per Dominum nostrum.

## In II Vesperis

**V.** Elégit eam Deus, et præelégit eam. **R.** In tabernáculo suo habitare facit eam.

**Ad Magnif. Ant.** Hedwígis sancta inclyta, \* in cælesti cúria coronáta, nos post hoc exsílum fac habere cæli gáudium.

*Et fit Commemoratio sequentis, ut in Breviario.*

Die 31 Octobris

S. Wolfgangi

Episcopi et Confessoris

Duplex

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam glóriæ induit eum.

**Ad Magnif. Ant.** Sacerdos et Póntifex, \* et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

**E**xáudi, quæsumus Dómine, preces nostras, quas in beáti Wolfgangi Confessoris tui atque Póntificis solemnitate deférimus: et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum nostrum.

## In II Nocturno

Lectio iv

**W**olfgangus, nóbili in Suévia genere prognátus, rerum exterarum fuit, et sui contéptor egrégus, solum ex ánimo Deum quærens. Honóres amplísimos ab Henrico Trevirénsium episcopo sibi oblátos recusávit; illóque demórtuo, pollicitationibus aliórum contéptis, monásticam tandem vitam, cujus semper desidério flagráverat, est amplexus. Sacris ordínibus a beáto Udalrico initiátus, cum in Pannóniam prædicánda Evangélii causa se prius contulisset, propter conjunctam in eo exímia cum pietáte prudéntiam, Ottónis imperatóris stúdio, totíusque cleri et pópuli acclamatione, ecclésiæ Ratisbonénsi rite præficitur.

**R.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. **Manus.**

Lectio v

**S**uscépto episcopátus múnere, gregem Dómini verbo pavit, et exémplo,

sanctíssimisque ecclésiám temperávit institútis. Monastério sancti Emmerámi, quod jam diu episcopi administráverant, restitútis provéntibus, magno illius bono, insignem virum Romuáldum præpósuit. Sanctimónialium cœnóbium, quod ipse fundáverat, tam sancte instituit, ut collápsa in aliis disciplína eo exémplo sit fáci- le restauráta, novóque pietátis odóre capta Brígida, Baváriæ ducis filia, sponsum Christum secúta, ad sacras se vírgines aggregárit. Bohémis, quo amplióra apud illos fides incrementa cæperet, contépto suæ ecclésiæ detriménto, rejéctis aliórum consiliis, proprium dari episcopum libentíssime permísit.

**R.** Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. **Manus.**

Lectio vi

**E**grégiam viri sanctitatem comprobáru- nt energúmeni, et váris languóribus opprés- si, quos precatióne sanávit. Divino afflátus instínctu, sanc-

tum Henricum imperatórem regnatúrum, fratrem ipsius Brunómem ad episcopátum promotum iri, e soróribus álteram reginam, abbatíssam álteram fore prædixit. Dénique cum viginti et ámplius annis in séduli Pastóris múnere peráctis, extrémum sibi diem imminere intelligeret, quæ ex usitáta liberalitate supérerant, per manus páuperum præmí- sit, sacræque Eucharístiæ viático præmunítus, in sancti Othmári æde, uti divínitas ántea futúrum accéperat, sanctíssimam vitam pari morte conclú- sit, Ratisbónæ in templo sancti Emmerámi sepúltus.

**R.** Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: \* Ipse intercédát pro peccátis ómnium populórum. **V.** Iste est, qui contémp- sit vitam mundi, et pervénit ad cælestia regna. **Ipse. Glória Patri. Ipse.**

In III Nocturno Homilia in Evangelium Vigiláte, quia ne- scitis: de eodem Comuni 2 loco.

IX Lectio de Homilia Vigilæ Omnium Sanctorum ut in Breviario.

## Ad Laudes

**V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas. **R.** Et ostendit illi regnum Dei.

**Ad Bened. Ant.** Euge, serve bone \* et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, dicit Dominus.

## Oratio

**E**xaudi, quæsumus Domine, preces nostras, quas in beati Wolfgangi Confessoris tui atque Pontificis solemnitate deférimus: et, qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absolve peccátis. Per Dominum nostrum.

Et fit Commemoratio Vigiliæ: Antiphona et Versus de Feria currenti. Oratio propria Vigiliæ e Breviario.

Vesperæ de Festo Omnium Sanctorum sine Commemoratione S. Wolfgangi.

Die 5 Novembris

**Sacrarum Reliquiarum**  
quæ in ecclesiis diœcesis  
asservantur

Duplex majus

Quæ non sunt de Psalterio, sumuntur de Comuni plurimorum Martyrum, præter Orationem et Lectiones proprias.

**V.** Lætâmini in Dómino et exultáte, justi. **R.** Et gloriâmini, omnes recti corde.

**Ad Magnif. Ant.** Istórum est enim \* regnum cælórum, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in sânguine Agni.

## Oratio

**A**uge in nobis, Dómine, resurrectionis fidem, qui in Sanctórum tuórum reliquiis mirabilia operáris: et fac nos immortalis glóriæ participes, cujus in eórum cinéribus pignora venerámur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio præcedentis:

**Ant.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, et ad portas paradisi coronávit eum.

**V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas. **R.** Et ostendit illi regnum Dei.

## Oratio

**E**cclésiám tuam, Dómine, sancti Cárolí Confessoris tui atque Pontificis continúa protectióne custódi: ut, sicut illum

pastoralis sollicitúdo gloriósum réddidit; ita nos ejus intercessio in tuo semper faciát amóre fervéntes. (Per Dóminum nostrum.)

Deinde Commemoratio Octavæ Omnium Sanctorum:

**Ant.** O quam gloriósum est regnum, in quo cum Christo gaudet omnes Sancti, amícti stolis albis sequúntur Agnum quocúmque íerit!

**V.** Exsultábunt Sancti in glória. **R.** Lætábúntur in cubilibus suis.

## Oratio

**O**mnípotens sempitéræ Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuisti celebritáte venerári: quæsumus; ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. Per Dóminum nostrum.

## In II Nocturno

Ex Tractátu sancti Joánis Damascéni de fide orthodoxa

## Lectio iv

Lib. 4, Cap. 15

**C**hristus Dóminus Sanctorum reliquias velut salutáres fontes præbuit, ex quibus plúrima ad nos benefícia manant, suavissi-

múmque unguéntum prófluit. Nec vero quisquam his fidem détrahat. Nam si aqua in désérto ex dura et áspera rupe, atque ex ásini maxilla, ad sedándam Samsóni sitim, Deo ita volénte, prosiliit, cur incredibile videátur ex Mártyrum reliquiis unguéntum suáve scaturíre? Mínime certe iis, quibus Dei poténtia et honor, quo Sanctos suos áfficit, perspécta sunt et exploráta.

**R.** Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illási in aquis válidis: \* Terra apparuit árida, et in Mari Rubro via sine impediménto. **V.** Quóniam percússit petram, et fluxerunt aquæ, et torréntes inundáverunt. Terra.

## Lectio v

**I**n lege quidem, quisquis mórtuum tetigerat, inmúndus censebátur. Hi verum in mortuórum número mínime sunt habéndi. Ex quo enim ille, qui ipsa Vita est, et vitæ Auctor, inter mórtuos deputátus est: eos qui cum spe resurrectionis fidéque in

ipsum obdormierunt, nequáquam mórtuos appellámus. Qui enim mórtuum corpus miracula édere queat? Quanam igitur ratióne, horum ópera dáemones expellúntur, morbi profligántur, ægróti sanántur, cæci visum recipiunt, leprósi mundántur, tentatiónes discutiúntur ac mærorés, omne dénique datum óptimum, iis qui fide non dúbia póstulant, per eos descéndit a Patre lúminum? Quid labóris non suscipias, ut patrónum nanciscáris, qui te mortáli regi offerat, et pro te ad eum verba faciát? An non igitur ii honorándi, qui totíus géneris humani patróni sunt, Deoque pro nobis súpplices preces ádhibent?

**R.** Vérbera carníficum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine: \* Ut herédes fierent in domo Dómini. **V.** Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplicia. **Ut.**

#### Lectio vi

**H**onorándi certe: et quidem ita, ut in eórum nómine templa Deo extruámus, dona offerámus,

memóriás eórum colámus, atque in iis spiriúaliter oblectémur: ea útiq; lætítia, quæ illis arrideat a quibus invitámur, ne, dum demeréri illos studémus, offendámus pótius et irritémus. Quibus enim rebus Deus cólitur, íisdem servi quoque ipsius oblectántur: quibus autem Deus offénditur, íisdem étiam mílites offénduntur. Quócírca in psalmis et hymnis et cánticis spiriúalibus, et compunctióne quoque, et ege-nórum miseratióne, quibus et Deus potíssimum cólitur, nos qui fidéles sumus, cólere Sanctos opóret. Státuas eis et imágines quæ videántur, erigámus: immo virtútes eórum imitándo hoc consequámur, ut vivæ ipsórum státuæ imaginésque evadámus.

**R.** Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holo-cáusti hóstiam accépit illos; et in témpore erit respectus illórum: \* Quóniam donum et pax est eléctis Dei. **V.** Qui confidunt in illum, intélligent veritátem: et fidéles in dilectióne acquiescent illi.

Quóniam. Glória Patri.  
Quóniam.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Descéndens Jesus, de eodem Comuni 2 loco.

#### Ad Laudes

**V.** Exsultábunt Sancti in glória. **R.** Lætábúntur in cubílibus suis.

**Ad Bened. Ant.** Vestri capilli cápitis \* omnes numeráti sunt: nolite timére: multis passéribus melióres estis vos.

#### Oratio

**A**uge in nobis, Dómine, resurrectionis fidem, qui in Sanctórum tuórum reliquiis mirabilia operáris: et fac nos immortalis glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pignora venerámur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ Omnium Sanctorum:

**Ant.** Te gloriósus Apostolórum chorus, te Prophetárum laudábilis número, te Mártyrum candidátus laudat exércitus, te omnes Sancti et elécti voce confiténtur unánimes, beáta Trínitas, unus Deus.

**V.** Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. **R.** Et gloriámini, omnes recti corde.

#### Oratio

**O**mnípotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebrítate venerári: quæsumus; ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundantiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. Per Dóminum nostrum.

#### In II Vesperis

**V.** Exsultábunt Sancti, ut supra.

**Ad Magnif. Ant.** Gaudent in cælis \* ánimæ Sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti: et quia pro ejus amóre sánguinem suum fuderunt, ideo cum Christo exsultant sine fine.

Et fit Com. Oct. Omn. Ss.:

**Ant.** Angeli, Archángeli, Throni et Dominatiónes, Principátus et Potestátes, Virtútes cælórum, Chérubim atque Séraphim, Patriarchæ et Prophétæ, sancti legis Doctóres, Apóstoli, omnes Christi Mártyres, sancti Confessóres, Vírgines Dómini, Anachorítæ, Sanctique omnes, intercédite pro nobis.

**V.** Lætámini et Oratio  
Omnípotens, ut supra.

Feria III  
post Domin. II Novembris  
**Dedicatio Ecclesiae  
Cathedralis**

Duplex I classis cum Octava  
communi

Omnia de Communi Dedi-  
cationis in Breviario, præter  
Lectionem VI, quæ dicitur ut  
infra.

In II Nocturno

Lectio iv et v de Communi.

Lectio vi

**C**atholici Berolinenses, ducētos fere annos ecclesiis et animarum ordinaria cura privati, anno millésimo septingentésimo quadragésimo sexto a Borussiae rege, Friderico secundo, propriae ecclesiae erigendae licentiam obtinere. Tum Benedictus Papa Décimus quartus christiānum orbem adhortatus est, ut, stipe generose collata, Berolinensi templo exstruendo obveniret. Structura itaque anno millésimo septingentésimo septuagésimo tertio feliciter absoluta, Ignatius Krasicki, Warmiensis Episcopus, die festo Omnium Sanctorum, templum solenni ritu Deo in honorem sanctae Hedwigis dicavit. Post quinquaginta circiter

annos, Pius Papa séptimus ecclesiasticam regionem Berolinensem, cum vicinis Brandenburgi ac Pomeraniae partibus, ad Administraturam Apostolicam gradum evexit, sub Wratislaviensium Episcoporum jurisdictione, qui rite suos delegatos ecclesiae sanctae Hedwigis praepositos statuere. Crescente denique Berolinensium numero catholicorum, ac novis ideo multisque in urbe parochiis institutis, princeps illud sanctae Hedwigis templum a Summo Pontifice Pio decimo primo Basilicae minoris titulo et privilegiis decoratum est: anno vero millésimo nongentésimo tricésimo, Idibus Augusti, idem Summus Pontifex Berolinensem diocesim erexit, et sanctae Hedwigis templum ad Ecclesiae Cathedralis dignitatem extulit. Primus Berolinensis episcopus, Christianus Schreiber, protinus interiorem ejusdem templi partem restaurandam curavit, et in pervigilio solemnitatis Pentecostes, anno millésimo nongentésimo tricésimo secundo, consecratione novi altaris majoris peracta, ex-

celsae suae dignitati traditum est.

**R.** Mane surgens Jacob erigebat lapidem in titulum, fundens oleum desuper, votum vovit Domino: \* Vere locus iste sanctus est, et ego nesciebam. **V.** Cumque evigilasset Jacob de somno, ait. **Vere. Glória Patri. Vere.**

Feria III  
post Domin. III Novembris  
**Octava Dedicatio  
Ecclesiae Cathedralis**

Duplex majus

Antiphonae et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti hebdomadae die, ut in Psalterio; reliqua ut in Festo præter

Lectiones, quae in I Nocturno dicuntur de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore, in II et III in Breviario assignantur propriae.

Die 19 Novembris

**S. Elisabeth**

Viduae

Duplex II classis

Omnia de Communi non Virginum, præter Orationem et Lectiones proprias, ut in Breviario.

In I Nocturno Lectiones Mulierem fortem, de Communi. IX Lectio S. Pontiani Papae et Mart. e Breviario.

In Laudibus Com. S. Pontiani Papae et Martyris.

In II Vesperis fit Commemoratio S. Felicis de Valois Confessoris.

INDEX ALPHABETICUS

	pag.
Dedicatio Ecclesiae Cathedralis, duplex I classis cum Octava communi. Feria III post Dominicam II Novembris . . . . .	26*
— Octava, dupl. majus. Feria III post Dominicam III Novembris . . . . .	27*
Elisabeth Viduae, duplex II classis. 19 Novembris	27*
Hedwigis Viduae, duplex I classis cum Octava communi. 16 Octobris . . . . .	7*
— De VI die infra Octavam, semidupl. 21 Octobris	10*
— De VII die infra Octavam, semidupl. 22 Octobris	13*
— Octava, duplex majus. 23 Octobris . . . . .	16*
Sacrarum Reliquiarum, duplex majus. 5 Novembris	22*
Wolfgangi Ep. et Conf., dupl. 31 Octobris . . . . .	20*